Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2243
Quelle:
Copyright:

ris Archidyaconi Cracouien. Et nobilis Bilhelmi de barno Sacrosancte generalis Synodi Basilien. — Et sanctissimi domini felicis pape quinti oratorum et nunciorum responsuri sumus, Verbum illud propheticum: Errauerunt ab utero, locuti sunt falsa, imprimis nostre considerationi occurrit &c. Toto Tractatu autoritas Conciliorum gen. supra Pontificem defenditur. Contra *Neutralizantes* sub finem vertitur illud III. *Reg.* 18. *Usquequo claudicatis in duas partes* &c. et illud: *Apoc.* 3. *Utinam esses calidus aut frigidus* &c. additurque: *Non recta est quippe intencio neutralitatis viam amplectencium et dicentium: Cui parti alij adherebunt illam sequimur.* Concludunt: *Et hec est pater optime sententia et professio veritatis nostra, quam ex diuinis et canonum collegimus scripturis et quam in hac vniuersitate pro fidei sancte custodia positi et regie maiestatis stipendijs foti sub vmbra protectionis vestre quiescentes cunctis qui zelum christiane religionis habent quibusque salus cordi est et potissimum huic inclito regno amplectendam tenendam et profitendam persuademus et predicamus.* &c. Nulla mihi Tractatus hujus jam alias hoc *Vol.* relati nota Editio, neque simile quid apud *Mansium* facile quaerendum.

III. *fol.* 97. *Gubernaculum Conciliorum.* Init directum ad Card. *Julianum de Cesarinis* Conc. *Basil.* Praesidem: *Ad perpetuam Conciliorum generalium memoriam* &c. et autorem habet *Andream de Escobar* Ep. *Megarens.* Potestatis conciliaris in Pontificem propugnatorem, cujus nomen tamen hic non exprimitur. Editum esse ab *Hermanno von der Hardt.* T. VI. *Constant.* p. 139. dixi *Vol.* I. P. 2. *col.* 1415.

IV. *fol.* 177. *Incipit tractatus Magistri Johannis de Segouia professoris sacre Theologie eximij editus in sacro Basilien. Concilio de ecclesiastica potestate*, vel, ut in calce: *Tractatus decem auizamentorum ex sacra scriptura de sanctitate ecclesie et generalis concilij auctoritate.* Initium est: *Apud sapientes in decisione questionum ac disputacionum frequencia nec non per ipsos et alios quoscunque de ecclesia prout est omnium in gratia* (magistra?) *fidelium sepe mentio fit in communi sermone* &c. Calci adjectus est Conspectus *Avisamentorum*, in quibus plenissime differitur de Ecclesiae Natura, Notis, Potestate, unde ad Conciliorum generalium autoritatem omni alia superiorem descenditur. Nunquam, quod sciam, lucem vidit eruditus et moderatus hic Tractatus; Locum tamen ex eo carptum habes apud *Hermannum von der Hardt* in Praef. T. VI. *Rer. Concil. Constant.* p. 7. qui nobis *fol.* 255. legitur. An is e Codice, qui testibus *Spizelio de Bibliothecar. Arcanis*, *Aug. Patritio* in *Summa Concill. Basil. et Florent.* et *Colomesio* in *Hisp. orientali* in Bibliotheca *Basileensi* servatur, adcersitus fuerit, an proprio gavisus *Hardtius*, incertum. *Escorialensem*, quem citavit *Nic. Antonius*